

Index Disputationum, Questionum, & Articulorum.

Quaest. 12. De divisionibus, & gradibus Bonitatis.	204	Quaest. 7. De eodem, & diverso; quid, & quomodo sit identitatis, & distinctio.	269
Quaest. 13. Quid sit malum, & quomodo Bono oppositum.	208	Artic. 1. De natura identitatis, & distinctionis ut sic.	269
Artic. 1. Malum universaliter in privatione Boni formaliter consistere.	209	Artic. 2. De numero identitatum, & distinctionum.	273
Artic. 2. Proponuntur, ac diluuntur objecta.	212	Artic. 3. Censura aliarum opinionum.	277
Quaest. ult. De divisionibus mali, & causis eius.	218	Quaest. 8. De natura identitatis, ac distinctionis realis.	284
<b>DISPUTATIO VI.</b>			
De passionibus Entis complexis, Actu, & Potentia; Necessario, & Contingenti; eodem & diverso.			
Quaest. 1. De potentia activa, & passiva, ut spectant ad Metaphysicum.	222	Quaest. 9. De natura identitatis, & distinctionis modalis.	289
Artic. 1. Quid sit potentia activa, & passiva.	223	Quaest. 10. De natura identitatis, & distinctionis formalis, ejusque utilitate.	292
Artic. 2. Divisionum potentiae in ratione principij in activam, & passivam esse sufficientem.	226	Artic. 1. Resolutio Quaestionis.	294
Artic. 3. Varias subdivisiones potentiae activae, & passivae.	229	Artic. 2. Argumenta in oppositum soluta.	298
Artic. 4. De Actione, & Passione.	234	Quaest. 12. De natura identitatis, & distinctionis virtualis, ejusque utilitate.	305
Artic. 5. Examinatur doctrina cujusdam Recentioris Scotista de actione, & Passione.	238	Quaest. 13. De identitate, & distinctione rationis quid sit, & quomodo sit.	309
Artic. 6. Quomodo Actio, & Passio distinguuntur.	242	Quaest. 14. De identitate, & distinctione rationis ratiocinantis.	312
Quaest. 2. De potentia subiectiva, & objectiva, ubi etiam de potentia Logica.	244	Quaest. 15. De identitate, & distinctione rationis ratiocinantis.	317
Quaest. 3. De actu primo, & secundo, formali, ac entitativo.	249	Artic. 1. Quid sit ista distinctio, nec ipsam cum formali coincidere.	317
Quaest. 4. De Potentia, & actu substantiali.	252	Artic. 2. De fundamento hujusmodi distinctionis eam fecerente à distinctione rationis ratiocinantis.	322
Quaest. 5. De Oppositione, & Prioritate actus ad potentiam.	255	Artic. 3. An haec distinctio sufficiat ad contradictoria componenda.	325
Quaest. 6. De Necessario, & Contingenti.	258	Quaest. 16. Num praeter praecisiones formales etiam objectivae sint admittendae.	327
Artic. 1. An necessaria habeant causam sui esse.	ibid.	Artic. 1. Praeter formales praecisiones dari quoque objectivas.	327
Artic. 2. De rerum Contingentia, an sit, quid sit, unde oriatur, & quomodo rebus conveniat.	265	Artic. 2. Argumenta non praecidentium diluuntur.	330
		Quaest. 17. & ult. An per actus intuitivos fieri possit praecisio, seu distinctio rationis.	336



# DISPUTATIONES

In duodecim Aristotelis Stagiritae Libros

## METAPHYSICORUM,

### PARS PRIOR.

## DISPUTATIO PROEMIALIS

In Metaphysicam.

**P**roemio loco explicandam aggredimur eam Philosophiae partem, quae frequentiori nomine Metaphysica nuncupatur, & ut ceteris nobilitate praestat, ita honoratioribus titulis praeter omnibus insignita, ac decorata est; appellari enim solet simpliciter, & absolute, ac veluti per antonomasiam Philosophia, vel prima Philosophia, & universalis Philosophia; rursus naturalis Theologia, Scientia divina supernaturalis Philosophia; Sapientia denique ac Domina, & Regina scientiarum; his, & consimilibus nominibus eam dignatur Aristoteles pluribus in locis 1. Metaph. cap. 1. & 2. & 4. Metaph. tex. 5. & lib. 6. tex. 3. & lib. 11. cap. 11. cap. 6. & alibi frequenter; quae quidem nomina ex objectis, & materia, circa quam facultas haec occupatur, sortita est, ut constat discurrere per singula; ratione enim objecti principalis dicitur supernaturalis Philosophia, & naturalis Theologia, ac divina Scientia, quia de Deo sermonem instituit, quantum naturalis luminis fas est, ac ceteris Intelligentiis separatis, & in hoc dissentit à Sacra Theologia, & Angelis loquitur juxta revelationem supernaturaliter factam; ratione vero objecti adequati dicitur universalis Philosophia, quia in rationibus communissimis versatur ver. grat. entis, & aliorum transcendentium rebus materialibus, ac immaterialibus communium; & eadem ratione Sapientia vocatur, & prima Philosophia. Scientiarum denique omnium Regina, & caput, eo quia res altissimas, causas primas, principiaque prima, ac amplissima contempletur, ex quibus aliarum scientiarum principia pendunt; Ratione tandem objecti tum principalis, tum adequati, communi nomine Metaphysica dicitur, quod ex Scot. in Prolog. qu. 9. Metaph. est Graecum nomen ex Meta compositum, quod significat trans, sive ultra, aut post, vel supra, quasi sit facultas res physicas in superioribus tomis traditas excedens, vel transcendens; quia tractat de Deo, & intelligentiis, quae sunt abstracta per essentiam, ac de ente, aliisque rationibus transcendentibus; quae sunt abstracta (et aiunt) per indifferentiam, ratione ejus abstractionis haec omnia verum omnium physicarum ordinem superant, & in altiori verum gradu constituuntur. In hac autem facultate tradenda non praemittitur, ut in aliis observatur libri, expositionem textus Aristot. eo quia amplissimam, & exactissimam habeamus expositionem textuum in 12. Met. libros Doctoris nostri, quae quidem an genuina sit ejus, vel potius Antonii Andreae ex ejusdem doctrina compilata, ut quidam contendunt Scotisae, parum curamus; nobis sat erit, quod Scotismum redoleat, sitque conformis doctrinae, quam Doctor tradidit in quatuor libr. Sent. & quodlibetis, ad cujus trutinam cetera ejus opera non adeo certa examinari debent; cum quae etiam cautione recipimus questionem ejus in Metaphysicam contextas, quatenus enim de illis minus dubitetur in nostra schola, num sint Scoticae, quam de Commentariis; quia tamen multa sparsim continent contraria his, quae docet in libr. Sentent. irrefragabilem, & firmam in schola subtilium auctoritatem facere non debent. Immo in hoc opere nedum textus expositionem missam facimus, in litera Doctoris à Lectore videndam, sed etiam quaestiones illas merè textuales, quae veteres Metaphysici circa textus applicationem movent, ut v. g. in primo libro, an visus faciat magis scire, quam alius sensus; an prudentia sit in brutis; an ex experimentis generetur ars &c. Has, inquam, & consimiles quaestiones data opera dimittimus, tum quia propria ad Metaphysicam non attinent, tum quia suis propriis locis in praecedentibus tomis resoluta fuerint, tum tandem quia, quae non fuerint alibi discussa, apud Doctorem ipsum videri possunt, alioque Scotistas, qui Metaphysicam scripserunt. Quaestiones igitur merè metaphysicas tractabimus à Disput. proemialis inchoantes, ubi de natura Metaph. e us objecto, ac muneribus disputari solet, quam quatuor absolvemus Quaestionibus.

QUESTIO PRIMA.

*De Sphaera Metaphysica speculationis, an versetur circa omnem entiam in speciali, vel tantum in generali.*

**N**on possumus adequatum Metaphysicae objectum, quod in praesenti quaestione vestigamus, advenire, nisi prius latitudinem Metaphysicae contemplationis pertritemur, cum enim apud omnes in consensu sit, Metaphysicam de omnibus rebus tractare, & de omni ente in universum, & hac ratione dici scientiam universalem, ut Arist. docuit 1. Met. cap. 2. & 4. Met. ab initio, dubitatur, an considerare teneatur entia omnia in speciali secundum rationes eorum specificas, an secundum rationes universales tantum, ac transcendentibus, quae in re prima facie famosae sententiae; duae extremae, & una media. Prima docet Metaphysicam ad naturas, & quidditates omnium descendere etiam in particulari, adeo quod nedum hominis, & equi praedicari conveniat, sed etiam particularia considerari teneatur, quae ut primo competunt, quatenus homo est, quatenus; cujus potissima ratio esse videtur, quia scientia, quae tractat de aliquo genere, ut de objecto adequato, etiam de speciebus sub illo contentis tractare teneatur secundum rationes easdem.

rum specificas, ut de Logica, & Philosophia naturali constat, cum ergo Met. ex communi ferè omnium sensu de ente tractet, ut de adequato ejus objecto; consequenter de omnibus ejus speciebus partibus subjeclivis teneatur agere etiam secundum rationes earum specificas; nam 1. Post. cap. 23. ejusdem scientiae considerare totum, & partes, idem genus, & species, ferè praedicata universaliter, & specialiter; quod etiam non semel insinuat Arist. ipse satis luculenter, nam 1. Met. cap. 2. ait Metaphysicam esse scientiam universalem, & de omnibus rebus disputare; & 4. lib. cap. 1. folam Metaphysicam considerare ens omne, & ens inquantum ens speculari, & species ejus, & species specierum; & 6. lib. cap. 1. rerum omnium quodquid est considerare, & lib. 11. cap. 3. inquit Metaph. esse scientiam entis prout ens universaliter, & non secundum partem, & ita passim loquitur; quae de causa non desunt gravissimi Auctores, qui relatae sententiae subscriperint Aegidius 1. Met. quaest. 2. Joan. Burid. & Paulus Venet. in Prolog. Met. referente Zerbio 1. Met. qu. 12. Antonii Mirand. lib. 13. de evertitione singularis certaminis lect. 6. & 7. Piccolominus in Manufcriptis; immo hanc quamplures teneant etiam ex schola nostra doctissimi viri Vigerius, & Bargius q. 1. Prologi exponendo tertiam rationem Scoti contra Philosophos. Gratianus Brixienis 2. sent. d. 3. qu. 1. exponendo ibidem litteram Doctoris pluribus ejusdem permoti auctoritatibus, nam in 1. d. 2. qu. 2. ait Metaphysicam considerare ad quod genus pertinetur linea, & quomodo sit species ex quantitate superficie, & à corpore distincta, & d. 3. qu. 2. inquit principia aliarum scientiarum esse per se nota ex conceptu con-

DISP



novit rerum quidditates, & meliori modo, quam faciant scientie...

9 Tertio, quod ad Metaphysicam spectet speculativa rationes entium...

10 Quarto probatur, quod possit Metaphysica, & debeat speculativa...

11 Sed ut hec pars latius aserti rectius intelligatur, advertendum est...

tas rationes abstrahentes à materia secundum esse, & considerationem...

Ceterum rationes Dei propriæ, & ex propriis habitibus sub ratione...

Solvuntur rationes adversæ.

12 In oppositum obicitur. Primo auctoritatis tum Aristoteli...

Respondent communiter Metaphysicam considerare etiam species entis...

Respondent quidam gratis concedendo Metaph. non considerare...

Respondent rursus gratis concedendo Metaph. non considerare...

Sed neque hæc communis solutio satisficit, si bene examinetur...

robis tam materialibus, quam immaterialibus, omnia trahet sub...

14 Secundum arguitur ad idem, quia Metaph. est scientia perfectissima...

15 Resp. ad l. neg. confeg. Metaphysica namque perfectè, & distinctè...

quo pacto substantia materialis non continetur sub eo, tamquam...

16 Ad quartum patet q. 3. cur alia scientia non subalternetur...

17 Tertio tandem obicitur contra alias partes conclusionis quia...

Resp. constare ex dictis quæst. proem. ad lib. de Anim. n. 8. & qu. 8...

gnoscentis, intelligentis, ut communes materialibus, & immaterialibus substantiis, re vera sunt juris Metaph. quia tamen ut a nobis cognoscuntur, non nisi ex diversis animarum gradibus dignoscuntur, ideo nil peculiare de ipsis differi potest in Metaph. præter ea, quæ de ipsis in lib. de Anima dicta sunt.

Quoad conceptum substantiæ mobilis, ut communis corporibus, & Angelis est specialis difficultas, de qua egimus quæst. proem. ad Phisicam art. 2. ubi enim communis opinio, quod quamvis Angeli sint entia mobilia, non tamen sunt physice considerationis, quia motus eorum non est physicus, quem dicendi modum ex Scotis sequitur Poncius cit. r. Phyl. disp. 1. concl. 1. ubi contendit Angelos secundum omnem considerationem, etiam ut mobiles ad Metaph. pertinere, quod ibi probat quia Angeli secundum omnem considerationem abstrahuntur materia non solum singulari, sed Physica non minus, quam cætera objecta, quæ sunt considerationis Metaph. secundum omnem considerationem sunt juris ejus; Probatur consequens, quia secundum omnes, qui distinguunt Phisicam à Metaphysica, distinctio inter objecta utriusque attenditur penes hanc abstractionem, quod adsumptum, quia Angeli sunt omnino spirituales, nec ullum ordinem dicunt ad materiam, Deinde quia utique insituti potest scientia, quæ tractat de rebus omnibus materialibus præcisè, quæ datur hypotesi utique ad ipsam non spectarent Angeli, qui sunt immateriales; talis autem est modus facultatis, quem Phisicam appellamus à agit enim solum de rebus materialibus, & corporeis, & per hoc à Metaph. secedunt, quæ agit de immaterialibus, ergo Angeli nequaquam erunt juris Phisici, sed Metaphysici prorsus, & secundum omnem considerationem.

18. Cæterum quæst. proem. cit. sancitum est cum veteribus Scotis conceptum substantiæ mobilis, ut communis est materialibus, & immaterialibus substantiis, ad Philosophiam in se pertinere, quod & ibi probavimus auctoritate Doctoris 6. Metaph. q. 1. dicentis, quod substantia separata est subjectum secundæ scientiæ speculativæ possibilis intelligere cognoscere ipsam sub propria ratione, sed non nobis, quia si substantia separata cognoscitur sub propria ratione, cognoscitur etiam esse mobilis, unde secundum hanc rationem ad Philosophiam attineret, cujus est considerate entia mobilia. Prima enim, & communissima passio Phisica est mobilitas. Sed negat Poncius, Scotum per illam secundam scientiam speculativam possibilem intelligere Phisicam, & ait quod per illam secundam scientiam intelligit aliam possibilem haberi de substantiis spiritibus, & materia separata, quam necesse non esset esse Phisicam, negat quoque mobilitatem, ut sic, esse adæquatam rationem Phisicam, per quam Phisica distinguitur à Metaph. & asserit, in quantum motum esse polle juris Metaphysici, etiam (inquit) in sententia nostra, quandoquidem fateamur de facto in Metaphysica agi de mobilitate Angelorum, cum negemus Phisicam, prout de factis nobis habetur; agere de Angelis, ut mobilibus, quare concludit mobilitatem, quam sola Phisica considerat, & quæ à Metaph. differunt, esse mobilitatem competentem substantiis corporeis, ut materialibus.

19. Verum quicunque est in Aristotelico idiomate etiam leviter versatus, scit apud Arist. Metaphysicam vocari primam scientiam speculativam, primamque Philosophiam; Phisicam verò secundam scientiam speculativam, & secundam Philosophiam; & rursus primam Philosophiam vocat Arist. quæ tractat de ente & substantiis separatis, secundam verò quæ tractat de substantiis materialibus, ita præsertim loquitur 4. Metaph. tex. 4. dum ait atque tota Philosophia pertinet, quæ substantia, quare necesse est, ut aliqua prima, & alia sequens sit, & 6. Met. tex. 3. inquit, si quis non est aliqua alia substantia præter eas, quam natura constituit, naturalis profecto prima scientia est, quod si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & Philosophia prima, & universalis sit quod prima, quibus in locis expositores passim, etiam Scotus ipse in textus expositione, per primam Philosophiam intelligit Metaphysicam, & per secundam ipsam Phisicam, cum ergo Doctor 6. Metaph. qu. 1. utatur phrasî Aristotelica, planè dicendum est, per secundam scientiam speculativam intelligere scientiam naturalem, quæ dicitur Phisica. Gratis etiam negat Auctor ille mobilitatem esse primam passionem Phisicam, & per eam leviter posseiori Phisicam à Metaph. adæquatè discerni, per hoc enim præcisè fecerunt Arist. ubique hanc scientiam ab illa volens, quod una agit de substantiis mobilibus, scilicet Phisica; alia de immobilibus scilicet Metaph. ita 6. Met. tex. 3. & 7. 1. Metaph. cap. 3. & 4. & 8. Phyl. & alibi frequenter, unde pro tanta Arist. demandavit, quia putavit illas esse adus puros, & ceptus immobiles, ut notat Tromb. 6. Metaph. qu. 2. & Scotus ipse qu. 1. prolog. 6. Tertia negatur, & quod 1. 5. C. & alibi læpè quod si eas mobiles novisset, sane sub hoc conceptu fallus esset fore phisicis ea ratione, quæ omnia considerat entia mobilia; quare concludimus, fallum esse aliquid in motum ad Metaphysicam spectare, cum Metaphysicus omnino abstrahat à motu, & portentum esse in Philosophia oppositum asserere; Neque unquam docuimus nos agi in Metaph. de mobilibus Angelorum, negamus utique agi de ipsa in Phisicis, quom habemus, sed non ob id asserimus de ipsa agi in Metaphysica, quia dicimus apud Arist. & quantum ex sensibus Philosophari possumus, esse prorsus immobiles, ut Doctor ostendit quæ II. cit. prolog. Nec unquam dixit Arist. Phisicam à Metaph. distinguere per mobilitatem corpoream, & materialem, sed

per motum absolute loquendo, ut motum omnino à consideratione excluderet Metaphysica, quem motum si dicit interdum esse corporeum, & sensibilem, hoc utique non dixit, ut innumeret motum spirituale Angelis competentem ad Metaphysicam pertinere, sed quia omnes substantias immateriales putavit immobiles, & solis corporibus motum convenire.

20. Deinde motus partialis in anima rationali receptus, dum movetur in corpore ad Phisicum spectat, item intentiones, & volitiones, ut etiam concedit Auctor ille disp. 7. Phyl. nu. 22. & tamen motus istius spiritualis; ergo fallum est motum dumtaxat corporeum ad Phisicum pertinere. At respondet ibid. nu. 25. intentionem, & volitionem animæ conjunctæ dici posse motus materiales, quia licet secundum se sint operationes spirituales, tamen ut exercentur in corpore, habent dependentiam à phantasmatis, & sunt operationes, quibus denominatur moveri, & operari substantia corporea, nam homo denominatur intelligere, & velle, quod sufficit, ut dicantur materiales quantum ad se habent ad considerationem Phisicam. Sed vir ille sic respondendo sibi constare non videtur, nam disp. 7. Phyl. nu. 21. concludit, inquit mobilitatem corpoream esse, quæ competit substantiæ corporeæ, & materialis, & in ea recipitur veluti in subjecto, tum quia ratio ipsa ita suadet, non enim dicitur motus corporeus, vel spiritualis, quia hæc ab agente corporeo, vel spirituali, sed quia recipitur in subjecto extenso, vel inextenso, alioquin motus Cæli ad intelligentiam motrice causatus in eo spiritualis foret, & incorporeus; parum ergo refert quod intelligit; & volitio animæ conjunctæ effectivè dependeat à phantasmate, dummodo in anima recipiantur, ut in subjecto; & rursus parum refert, quod denominat hominem intelligere, & velle, quia ad summum dicitur homo ex hoc capite subjectum denominationis non habere, à quo præcisè motus dicitur corporeus, vel spiritualis.

Ad ejus rationes constat ex dictis quæ. proem. Phyl. art. 2. sunt enim prorsus eadem cum illis, quas ibi adduximus, neque nil novi afferit, quod nova indiget doctrina pro solutione, itaque ad 7. dicendum est, quod si per materiam Phisicam, à qua inquit Angelos abstrahere, intelligit materiam partem, ut videtur ipse intelligere, dum hoc probat, quia sunt spirituales, nec dicunt ordinem ad materiam, concedo antecedente, negatur consequentia, quia abstrahere à materia in sensu, quo per talem abstractionem distinguitur Arist. Phisicam à Met. non est esse materia partem, quod & Auctor ille fatetur ibid. concl. 3. dum ait Cælos etiam si sint corpora simpliciter carentes forma, & materia Phisica adhuc esse phisice considerationis; sed est non habere materiam, quæ secundum locum mobilis est, ut declarat Arist. ipse 8. Met. 12. seu non esse subjectum prædicum intrinseco principio motus, unde de hoc sensu Angelus non est à materia abstrahendus, tum quia est principium tali principio prædicum, tum quia motus ejus ordinem dicit ad materiam scilicet ad magnitudinem, & spatium, super quod fit. Ad aliud concedimus, quod si inlitteretur scientia, quæ ageret de solis rebus corporeis, & materia Phisica constituta, hæc de Angelis nequaquam ageret, sed negamus quod phisica in se talis esset conditionis, & dicimus, quod ageret de quocumque ente mobili, sive corporeo, sive incorporeo, dummodo principium intrinseco motus haberet, & sit per materialitatem, vel immaterialitatem motus, vel naturalitatis, ut toties inculcat Arist. determinabitur objectum Phisice, sed per rationem corporeitatis, & sensibilitatis, & per hanc rationem Phisica à Metaph. distinguetur, quod non est absolute verum, elioin aliquo sensu concedi possit, quatenus Arist. corporibus, & substantiis materialibus motum tribuit, substantias vero immateriales censuit immobiles; Quod si pertinaciter contendas, sola entia corporea, & materialia cadere sub Phisica consideratione absolute loquendo; pertinaciter item hoc negat Canonicus nosler 1. Phyl. qu. 1. in fine; & sic Avicen. (inquit ipse) vel commentator, vel aliquis alius dicat oppositum, nego ipsos tanquam ignorantes, & neficientes aliquid de motu Angeli; Verum est tamen hic nimis hallucinatum esse Saxium loc. cit. disp. 2. nu. 108. dum auctoritate Doctoris cit. 6. Met. qu. 1. per motum inquit contemplationem substantiarum separatarum (excepta prima) quoad conceptus proprios ex propriis pertinere ad Philosophiam naturalem in se. Doctor enim ibi intelligit debet de conceptibus motum concernentibus, ut explicuimus, non de aliis, quæ à materia, & motu abstrahunt, qui namque spectant ad Metaphysicam in se, ut locis supra citatis Doctor non semel significavit; ac etiam de illis loquitur Tartar. quem pro hoc Auctor adducit quæstion. proem. ad Phisicam, ut constat ex illis propositionibus, quas in exemplum asserit, Angelus est mobilis, est receptivus alicujus ubi, vel alterius qualitatis spiritualis.

Q U Æ S T I O II.

De adæquato Metaphysica objecto.

21. Plures, & varie in hac difficultate sunt sententiæ, quæ omnes ad tria possunt capita reduci, seu ad tres opiniones, duas extremas, & unam mediam; Prima opinio assignat pro adæquato (de hoc enim est quæstio) Metaph. objecto aliquid latè ens reale, quod est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti; semper ens abstractum solum, quatenus sub se continet omnia

omnia entia, nedum realia, sed etiam rationis, nedum positiva, sed etiam negativa, nedum per se, sed etiam per accidentia Bonet. 1. Met. cap. 1. Aquinas dicitur 1. Zanard. q. 1. Buratel. lib. 10. conciliat. contra Averr. Arist. & Plat. quod ex Recentiorebus tenet ut probable Fonseca. 4. Met. cap. 1. q. 1. sect. 3. & Hurtad. disp. 1. Met. lect. 2. sublect. 2.

Alterca opinio extrema statuit objectum Metaph. aliquid arctius ente reale communi Deo, & creaturæ, substantiam, & accidentem, quæ sub se varios continet dicendi modos. Aliqui ponunt substantiam abstractam à finitæ, & infinitæ, materiali, & immateriali esse subjectum excludendo accidentis, quod non nisi reductivè ad substantiam consideratur, tribuitur Buridano, & sequitur Pavet. disp. 1. Metaph. cap. 9. & 15. Sireus disp. de subjecto Philosoph. sect. 2. cap. 15. & 16. Alii adhuc magis restringunt ad neutrum pro objecto Met. solum substantiam immaterialem, ut Deocum comprehendit, & cæteras Intelligentias, quæ opinio solet adscribi Averro 1. Phyl. com. ultimo. Alii adhuc magis coarctant volentes solum Deum, quatenus est naturalis ratione cognoscibilis, esse objectum, tribuitur Alpha. & videtur defendere Hurt. ad disp. 1. Met. lect. 3. & 4. pro qua insuper refert Avic. Aver. Alb. & S. Thom. Alii contra objectum Metaph. ad solum ens creatum restringunt, & finitum, quod in decem prædicamentis dividitur, ita Flandria 1. Met. q. 1. Novissimè tandem Pasqualigo. 1. Met. disp. 17. sect. 3. ut aliquid novè proferre videatur, declarat objectum Metaphysice esse quidditatem completam abstrahentem à materia, & nomine quidditatis completæ, ait n. 3. fe intelligere quidditatem, non quæ sit omnino completa, sed quæ se habeat, tanquam aliquid totum coalescens ex suis principiis quidditativis, quæ tanquam intrinseca elementa concurrant per modum adus, & potentia Metaphysica ad constituendam alicujam naturam se habentem per modum totius, & per se stant; & immediate inf. disp. 18. declarat Deum non contineri sub hoc objecto Metaph. & tandem disp. 19. contendit, nec Intelligentias sub ipso contineri.

22. Tertia Sententia media, quæ communis est in omni Schola, docet ens reale, & positivum, quod est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, esse adæquatum objectum in Metaphysica; ita Arist. ipse docuivè videtur 4. Met. tex. 1. dum ait, hæc scientiam speculativam ens, quatenus ens, atque ita docent ibidem omnes ejus Interpretes Aver. Alensis, Aphrodis. D. Thom. Avicen. libr. 1. metaph. cap. 1. Albert. 4. Met. tract. 1. cap. 5. Scotus qu. 1. metaph. q. 1. & q. 3. prol. ad 2. q. 6. Met. q. 4. cum omnibus Scotis, & Egid. q. 5. land. quæst. 3. Sueslan. disp. 1. cap. 4. Javel. q. 12. Soncin. 4. Met. q. 10. Fonseca. 4. Met. cap. 1. quæst. 1. sect. 2. Suarez in Met. disput. 1. lect. 1. & alii passim, qui tamen entia divisi sunt in varios dicendi modos, dum declarant modum considerandi ens in Metaph. Quidem enim volunt hic ens considerari in sua præcissione, & secundum esse solum, seu ut simpliciter, adeo ut in hac sententia non nisi in communi considerari debeat sine speciali, & distincta generum, & specierum ejus cognitione, ita docuerunt omnes Auctores, qui in præcedenti quæstione alleverant Metaphysicæ res omnes in universalibus solum, & in prædicatis generalibus contemplari; & ita indicavit D. Thom. per proem. Metaph. Vicomercat. 12. Met. in proem. Scotus in præf. cap. 2. & ex nobis ita præsertim specificavit Lichetus 1. prol. qui vero in præced. quæst. alleverant, Metaphysicam omnia etiam quoad rationes específicas contemplari, statunt ens reale subjectum Metaphysicæ ita adæquatè solum, ut non solum ipsum ens secundum se considerent, sed omnia quoque entis genera, & species secundum rationes específicas, ut partes subjective entis in communi. Denique, qui dicebant in præced. quæst. in Metaph. ens in communi considerari, non tamen omnino præcisè solum, sed etiam ut sub se continet substantias immateriales, hic consequenter asserunt ens reale esse adæquatum subjectum Metaph. non præcisè in sua communitate solum, sed etiam ut sub se continet substantias immateriales, eo quia ratione sua immaterialitatis participant rationem formalem objectivam, quæ Metaphysicam distinguit à Phisica, & Mathematica; quem dicendi modum cæteris probabiliorcm indicamus.

23. Decimus Pro. nihil latius ente per se reali, & positivo statuit possibile objectum Met. est ferè commune in omni Schola, & probatur, quia communis hoc ente in aliud est, quam ens communissima abstractio solum, quod est commune enti reali, & rationis, positivo, & negativo, enti per se, & per accidentis, sed ens sic abstractum nequit esse subjectum, ergo, & cæ. major patet. Probatur minor, quia enti in tanta universalitate non competunt conditiones subjective scientiæ, quæ Doctor assignat q. 3. universal. & non exatè explicimus disp. 12. log. q. 2. nempe, quod habeat, quid est, quod per ejus quod est, demonstrantur de ipso passionibus propriæ in ea scientia, & demum, quod ita existit in ea facultate agatur de ipso, ut ad ipsum omnia alia in ea considerata reducatur, & dicant attributionem; nulla, inquam, illarum conditionum competit enti sic abstracto, non prima, quia in tanta abstractione non importat conceptum alicujus per se unum, ut in ira ex professo probatur, sed solum commune nomen, cuius ratio pro non est, quoniam quæcumque commune nomine participant, quia alicujus illorum verè habet rationem entis intrinsecam, alterum vero solum per modum proportionem, & similitudinem cum communi nomine non participant eandem rationem,

ut constat de analogie proportionis disp. log. q. 5. sed ita se habent ens reale, & rationis, positivum, & negativum, per se, & per accidentis in participando communi nomine entis; ergo, & c. Probatur minor, entia enim rationis, negationis, & privationis entia dicuntur, non quia rationem entis participant, quia nihil sunt, sed quia ad modum entis concipiuntur, ut reuera concipiuntur ad modum formæ luci oppositæ per aerem diffusæ, ex dictis disp. 3. log. de ente rationis; idem etiam contingit de ente per accidentis, quia non est verè unum ens, sed simpliciter plura, unde nec unam rationem vel definitionem habere potest, ut docet Doctor 4. disp. 1. quæ 2. §. 1. & nos disp. 12. log. q. 2. art. 3. quod si tale ens consideretur, quatenus aliquid modum unum est, præterquam quod talis unitas non erit in re, sed tantum in apprehensione, & conceptione, & sic de illo erit eadem ratio, quæ de cæteris entibus rationis, jam non consideratur tale ens, ut omnino per accidentis, sed ut aliquo modo comprehenditur sub latitudine entis per se. Neque secunda conditio subjecti competit enti sic abstracto, quod nempe illi competant primæ passionis, quæ in ea scientia demonstrantur, quia primæ passionis Metaph. sunt unum, verum, bonum, sed bonum convenire nequit entibus rationis, nec verum privationibus, & negationibus, nec unum enim per accidentis, quod est simpliciter plura, & aggregatio multorum, si ergo his entibus passionibus illæ non satis adaptantur, consequenter nec enti illis communi poterunt convenire; tum quia si ens sic solum non habet verum quid, & definitionem, consequenter nec passionis habebit de ipso per eam demonstrabilis. Nec demum tertia conditio ei convenit, quia de ente per accidentis, ut sic, non datur scientia ex 6. Met. 4. ut ex professo docuimus disp. 12. cir. log. quæst. 2. art. 3. atque ideo sub objecto adæquato alicujus scientiæ per se, & directè contineri non potest, sed plurimum, ad quas pertinere possunt entia per se, ex quibus talis ens per accidentis constat; ens vero rationis licet possit esse objectum per se scibile, ut diximus disp. 3. log. q. 6. certum tamen est ad Met. considerationem per se, & directè non pertinere, unde Arist. 6. Met. cap. ultimo, ut ibidem omnes notant Interpretes, dicit ostendendum esse ens rationis, atque solum disputandum esse de ente reale, quia Metaphysica est scientia realis, non minus quam cæteræ scientiæ, quæ secum dividunt scientiam speculativam realem, & ideo tam ejus objectum, quam quod directè sub eo cadit, velut ejus pars subdive, reale esse debet; Denique nec privationes, nec negationes dignæ sunt; ut in aliqua scientia directè, & per se considerentur, & præsertim in Metaph. quæ intrinsecè omnino nobilitate præstat, & c.

Hurtadus cit. contendens intra objectum, communissimum, & adæquatum Metaph. ens quoque rationis directè contineri, ac eam tamen ens per accidentis dividit ens rationis esse suo modo unum, verum, & bonum, & esse directè cognoscibile, & subdit §. 9. nec Met. esse unicam scientiam, sed plurimas, neque opus esse objectum esse unum ad facultatum unitatem; quod si unitas requiritur, non est in objecto communissimo, quia eadem facultas agit de oppositis contra dictorè, ut Phisica de forma, & privatione, sed ad summum existitur in objecto attributionis, quod in Met. concedit esse ens reale; sic etiam de ente per accidentis inquit §. 69. dari scientiam, & quod id negat Arist. 6. Metaph. cap. 2. inquit intelligere de accidentario eventu, quia hoc non habet certam causam, inquit entia ens per accidentis esse definibile, licet enim unica definitione explicari nequeant omnia, quæ includuntur in ente per accidentis, collectio tamen ipsa explicari poterit, exercitium enim est collectio multorum hominum bellis, & armis utentium ad pugnam dum domus est effectus resultans ex lapide, ligno, & calce cum apto situ ad habitandum.

24. Hæc tota responsio impugnatæ manet ex dictis in logica, nam disp. 3. quæstion. 6. diximus enti rationis non potiori in re adaptari, unitatem, bonitatem, & cognoscibilitatem, quam entitatem ipsam, atque ideo sicut dicitur ens per se in analogiam proportionalitatis ad ens reale; ita dicitur verum, unum, bonum, & intelligibile per ordinem ad illud, ex quo non deducitur debere per se, & directè à Met. considerari, sed solum, quod potest ad eandem scientiam reduci, ad quam directè spectat ens reale, quatenus ejus natura consistit in quadam imitatione entis realis. Tum quia incommuni distinguit Hurtad. contra communem loquenti modum objectum adæquatum, & totale à subjecto attributionis, ut diximus disp. 12. log. q. 2. art. 1. Tum quia quando etiam distinguuntur, male rursus negat necessitatem esse unitatem in objecto adæquato, & totali scientiæ, hæc enim omnino necessaria est ob specificationem, & distinctionem scientiarum ab invicem, ut ostendimus disp. 12. logica q. 3. art. 3. quod rursus hic probatur, quia ex multiplicatione obiectorum etiam scientiæ multiplicatur ex Arist. 6. Metaph. ab initio, ergo unaquæque scientia unicum, & totale habebit objectum, quod non erit unum per se solum aggregationem, ut ait Hurt. velut unum lapidum, sed per aliquod commune omnibus obiectis partialibus in scientia consideratis, quod inductione probari potest in omnibus scientiis, nam logica ver. gr. habet tantum pro obiectis partialibus, quæ intrinsecè participant rationem Syllogismi, Phisica habet pro obiectis, quæ intrinsecè participant rationem corporis naturalis, quod fidealis agunt, ut v. gr. Logica de propositione, Phisica de materia, & forma, non agunt de illis, velut de objecto, sed tanquam de principiis obiecti, non enim omnia, quæ tradantur in scientia, debent habere rationem obiecti ex dictis in